



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*He . 21.*

13

PALÆSTRA DUODECIMA  
**THEOREMA-**  
**TUM POLITICORUM,**  
De  
**PRINCIPIIS ACTIONUM**  
**HUMANARUM,**

Quam,  
Annuate Divinâ Gratiâ,

Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici,

In

*FLORENTISSIMA ALBERTINA,*

*PRÆSES*

**JOHANNES GEORGIUS à Göben/**

Nobil: Borusf. & Phil. D.

Et

*RESPONDENS*

**NICOLAUS WITTENBURG,**

Mitau Sengallus.

*Anno 1673. d. Octobris locô, horisq, destinatis.*

---

*REGIOMONTI,*

Typis FRIDERICI REUSNERI, ELECTORIS  
BRAND. ET ACAD. TYP.

PALESTRA RHODENSIANA

THEOREMATA

TUMULTUOSISSIMA

PROPHETIA

HEMANTHA

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD



## Bonô cum Deô!

## §. 1.

**P**roximâ ostendimus Palæstrâ, virtutem versari in perturbationibus & actionibus. Jam verò cum virtus propriè sit laudabilis, ut docet Philosophus l.1. Ethic. c.12. l.2. Eth. c.4. in perturbationibus & actionibus versabitur, quatenus sunt laudabiles. Nam perturbationes & actiones, scil: ad mediocritatem revocatæ, constituunt essentiam virtutis; quicquid autem dicitur de subjecto, idem quoq; de subjecti ejusdem essentiâ; sic de beatitudine humanâ dicitur, quòd sit *honorabilis* lib.1. Ethic. c.12. idem etiam dicitur de ejusdem essentiâ, nempe de actione virtutis. Illæ autem actiones & perturbationes laudem vel vituperationem merentur, quæ sponte fiunt: ex gratiâ, ille non laudatur, qui mediùm metæ tangit, præter opinionem suam jaculans. Sed qui tangit, destinatò consiliò, & sponte jaculans. *In iis rebus, quas sponte facimus, laudes & vituperationes nos sequuntur* l.3. Eth. c.1. §.1. Itē l.1. Rhet. c.10. Quñ itaq; virtus versetur in perturbationibus & actionibus, quæ laudabiles sunt; & verò eadē laudabiles existant, si sponte fiant: necesse est, ut de spontaneo agatur, antequam progressus fiat ad singulas virtutis species: nam qui ignorat id, ex quo perturbationes & actiones laudabiles procedunt, ignorat quoq; naturam illarum, & per consequens virtutis. De virtute etiam inde evidens est, quippe virtus est *habitus proæreticus* l.2. Ethic. c.6. §.1. Omne autem proæreticum est spontaneum: igitur si hoc ignoratur, ignorabitur natura virtutis. Si igitur agendum de spontaneo, etiam de invito, cui tribuitur aut venia, aut interdum misericordia: quia contraria sunt ejusdem scientiæ, quemadmodum virtus

& vitium contraria sunt, & sunt quoq; ejusdem scientiæ, videlicet hujus Politicæ. Quò digitum intendit Philosophus, dicendo: *Necesse est fortasse, iis, qui virtutis vim naturamq; querunt, id quod sponte, & id, quod invitè fit, accuratè definire, l. 3. Ethic. c. 1. §. 2.* Neq; tantùm consideratio spontanei ac inviti utilis est ad cognoscendam virtutis naturam, sed & Politicis v. gr. legumlatoribus, & qui judicia administrant. Nam id genus hominum debet nôsse rectè præmia & pœnas constituere: quia, docente Democrito, *omnis Respublica præmiis & pœnis continetur.* Jam consideratio spontanei ac inviti multùm confert ad præmia & pœnas rectè decernenda: *confert latoribus legum, tum ad honores bene de Republica meritis decernendos, tum ad supplicia in improbos constituenda. l. 3. Ethic. c. 1. §. 2.* Præmia decernuntur iis, qui sponte bene egerunt. Similiter pœnæ maximè statuuntur in iis, qui sponte, non invitè, delinqvunt: nam pœnæ exigendæ sunt ad gravitatem delictorum: aliter, quantum ad gravitatem, censendum de delictis, quæ sponte, aliter, quæ invitè: *aliud est, quod impetu & casu delinquitur ab eo, vel quod consultò, sive ex proposito. l. 5. ff. de pœnis.* Differunt autem sponte & invitè facta delicta, quantum ad gravitatem, illa graviora, hæc leviora sunt. Quibus subscribit quoq; Cicero, qui, *per multùm interesse, ait, utrùm perturbatione aliquâ animi, quæ plerumq; brevis est, & ad tempus, an consulto ac cogitatò quid fiat: leviora enim esse, quæ repentinò aliquo modò accidunt, quàm ea, quæ meditata inferuntur l. 1. Offic:* Hinc fit, ut sponte delictis gravior, invitè, mitior in judiciis statuatur pœna. Exempli causâ, si quis alienum servum occiderit injuriâ, lege Aquiliâ tenetur; at si per lufum à jaculantibus servus fuerit occisus, per campum jaculatorium iter intempestivè faciens, Aquilia cessat. *l. item si obstetrix ff. ad legem*

gem

*gem Aquiliam.* Et infans, vel furiosus, si hominem occiderint, lege Corneliâ non tenentur, cum alterum innocentia consilii tueretur, alterum fati infelicitas excusat. l. *infans ff.* ad leg. Cornel: Unde mulier ista, cujus meminit Aristoteles l. 1. m. m. c. 17. quæ, amore capta, alicui philtum injecit bibendum, à quo homo moriebatur, in Areopago eò absoluta est, quòd non interficiendi consiliò fecisset, sed, ut illius erga se moveret amorem. Non solum invitè commissis delictis venia tribuitur, sed interdum etiam misericordia. Prænosendum verò, quantum à veniâ misericordia distet. Venia est ejus, quod contra fas invitè committitur. Id non tantum patet ex Græcis scriptoribus, veluti ex Thucydide l. 3. & Socrate in Hippia minore & aliis, sed & ex Latinis, inter quos Cicero lib. 1. Philippicarum in hanc rem hæc habet: *Hoc ignoscant Dii immortales velim, & populo Romano, qui id non probat, & huic ordini, qui decrevit invitus.* Ubi veniam tribui petit ei, quod sine dubio contra fas factum fuerit. Misericordia multò plus est, quàm venia. Misericordia est ejus, quod, non solum secus, ac oporteret, invitè factum, sed & magnam invitè facienti adfert acerbiter. Sic misericordia tribuebatur Cephalo, qui uxorem, Herculi, qui liberos invitè interfecisse fertur: qui bini non solum secus ac oporteret, agebant, sed & ex factò eo magnam capiebant acerbiter.

§. 2. Initium autem faciemus ab invitò, quia invitum notius spontaneò. Spontaneum procedit à principiò internò, ut possit patet; at invitum ab externò. Ut jam principium externum, quia sensibus magis vicinum est, notius est principiò internò: ita &, quod ab externò principiò procedit, notius erit eo, quod ab internò. Mirum igitur est, quod Conradus Hornejus, l. 3. Ethic. c. 4. n. 3. in civili doctrinâ, ordinem,

dinem, quem Aristoteles ipse l. 3. Ethic. c. 1. §. 5. observavit, deseruerit, & à consideratione spontanei ad considerationem inviti processerit; cum tamen omnis methodus à notioribus ad ignotiora procedat, & ex paulò antè dictis pateat, invitum esse notius spontaneò. Unde Hornejus ibidem in tractatione Spontanei, invitum considerare cogitur, ut ex eo Spontanei naturã explicaret. *Cum enim, ait, ab invitis aliquid fiat, ut post explicabimus, duplici de causã, aut propter principium externum actionis, sive per vim, aut per ignorantiam, oportet ea, que sponte fiunt, & ab interno principio, & à scientibus fieri, loc. cit. Quod fieri non potuisset, nisi invitum notius esset Spontaneò, atq; priùs tractandum.*

De invitò,  
quod vio-  
lentum.

§. 3. *Invita seu ἀνάσσια sunt, que aut vi, aut per ignorantiam, sunt, l. 3. Ethic. c. 1. §. 5. Ex quo constat, duplex esse invitum, unum violentum, alterum per ignorantiam. Vi fieri, & violentum esse, unum idemq; sunt: ea enim Aristoteles in promiscuo habet, quod proximè vocabat βία γινόμενον, i. e. quod visum, id post vocat βίαιον, i. e. violentum cit. locò. Violentum non est unius generis, aliud est planè violentum, aliud quodammodo, prout sic vocatur ab Acciajolò comment. in l. 3. Ethic. c. 1. Planè violentum, ut Eustratius, aut quicumq; ille sit, docet in suo comment.: Aristotelis definit verbis: *cujus principium extrinsecus ejusmodi est, ut ad id neq; agens, neq; patiens quicquam conferat. l. 3. Ethic. c. 1. §. 5. l. 1. m. m. c. 15. 17. verbi gratiã, ut exemplis Philosophi utamur, si quem ventus, præter intentionem suam, aliquò detulerit, aut si homines, qui nobis sunt viribus superiores. citat. locò, aut si potentior manum tuam arripiat, eãq; alterum pulset, aut si quis ab alio impulsus, alium ipse protrudat, ac sternat præter intentionem. Violentum quodammodo est, quod majoris mali metu,**



tu, vel boni alicujus consequendi causâ, agimus, aut patimur, siue id sit turpe, siue noxium, quod aliâs non ageremus aut pateremur, v. grat: si quis tyrannus imperaret, ut alius turpe aliquod facinus perpetraret, hâc propositâ conditione, nisi imperata faceret, & ipsum & parentes ejus crudeli objectum iri morti: si quis, inquam, hoc ita imperaret, & alter, terrore percussus, idem faceret. Item si quis, tempestate in mari coortâ, merces ejiceret, ne planè cum navi submergeretur. Quæ maximam partem petita sunt ex lib. 3. Ethic. c. I. §. 6. 7. Jam dispiciendum est, utrumq; violentum ne, an alterutrum sit invitum, & quod illud sit. Quod attinet violenta quodammodo, illa non sunt verè invita. Nam actio verè invita est nullò modò & nunquam eligibilis: sic extra controversiam est, impulsus navis, in qua continemur, in scopulos, cujus causa est tempestas inexorabilis, esse actionem verè invitam, ast impulsus talis in propriam perniciem nullò modò & nunquam eligitur ab aliquo. Quod & Philosophus non obscure indicat, postquam enim disseruerat, violenta quodammodo, si simpliciter spectentur, sequestrata scilicet à fine suo, esse verè invita, addit: *nemo tale quippiam propter se elegerit.* l. 3. Ethic. c. 1. §. 15. Eustrat: super hunc locum adjicit: illa sic considerata *absolutè ac simpliciter dici fortasse invita debent, & hanc reddit rationem: quia ipsa per se eligeret nemo.* Quod si sic, utiq; simpliciter & verè, (hæc enim idem sunt) invita à nullo unquam eligentur; at verò nihil horum de violentis *quodammodo*, seu, ut alii vocant, *secundum quid*. Nam illa possunt dupliciter considerari, vel simpliciter, *quoad externum principium*, ut Eustrat: in comment. suo docet, v. gr. quoad periculum: vel respectivè, quoad finem, cujus gratiâ violenta illa suscipiuntur, v. gr. quoad salutem vel suam vel suorum. Jam qui-

quidem, si illa absolutè considerantur, quoad externum tantum principium, à nemine sanæ mentis eligentur, quis namq; sine ullo fine, vellet merces suas in mare projicere, quis vellet turpe admittere facinus, nisi fortè sit corruptæ rationis. Si verò respectivè, quantum ad finem, considerantur, eadem omnis sanæ mentis eligeret: quilibet enim, qui sanam rationem in consilium adhibet, ut se ac ceteros salvaret in navi, ex eadem merces ejiciet. Quibus gemina sunt, quæ Philosophus habet, dicendo: *Si rem absolutè consideres, nemo sua sponte rerum suarum jacturam facit. Ceterum pro salute suâ ac aliorum omnes faciunt, qui quidem sanæ sunt mentis.* 1.3. Ethic. c. 1. §. 8. Dices, si hæc violenta non sunt verè invita, Ergo erunt verè spontanea: Respond. neq; verè invita, neq; verè spontanea, sed media inter hæc, videlicet mixta. *Hujusmodi actiones (nempe quæ violentæ quodammodo sunt) sunt mixtae* 1.3. Ethic. c. 1. §. 9. Quum igitur verè invita sint nullo modò à sanò homine eligibilia; & verò violenta secundum quid certò modo ab eodem eligibilia; evidens est, hæc non esse verè invita. Quin, actiones secundum quid violentæ sunt magis spontaneæ quàm invitæ. Nam illæ tum sunt optabiles & eligibiles, cum suscipiuntur: cum tempestas ultimam intentat perniciem navigantibus, tum illi, si ex ratione facere velint, meritò mercium faciunt jacturam, ut suam & aliorum salvent vitam. Quia principium movendi eas corporis partes, quæ instrumentorum locum obtinent in hujusmodi actionibus, in agente est, quando agit: exempli gratiâ, si quis, ad ferales tyranni minas, manù sublatâ, hominem, perimit: item si quis merces, ingruente tempestate, manibus suis arripiens, navi ejicit. *Quarum autè rerum in aliquo principia sunt, earum quoq; agendarum, vel non agendarum, penes ipsum est potestas*

*testas. l. 3. Ethic. c. 1. §. 13. Hujusmodi actiones, videlicet mixtæ,*  
*tum eligenda sunt, cum aguntur l. 3. Ethic. c. 1. §. 9. Quo verò*  
*tempore illæ actiones eliguntur, & earum potestas in agente*  
*est, eo etiam sunt spontaneæ: quo tempore quid eligitur, eo*  
*etiam est spontaneum, adeoq; actiones illæ mixtæ sunt tum*  
*spontaneæ, cum suscipiuntur, cum omne id, quod eligitur,*  
*sit spontaneum. Jam verò, ut rectè docet Philosophus, sponte*  
*agi aliquid, aut invitè, dicendum est, tum, cum agitur l. 3. Ethic.*  
*c. 1. §. 11. Nam, ut censet Eustratius comment. in l. 3. Ethic. c. 1.*  
*§. 9. de nullâ actione in universum definire possumus: sed tunc, cum*  
*agitur, unumquodq;, quâ de causâ, & quod actum sit, judicamus:*  
*actionis enim judicium maximè est à fine ejus, ut, simulac*  
*finis actionis est, actionis, qualis illa sit, incipiat judicium. Sic*  
*actio bona vel mala dicitur ex tunc, cum finis præfixus est.*  
*Finis verò actionis, docente Philosophò, est κατὰ τὸν σκοπὸν i. e. pro*  
*tempore. l. 3. Ethic. c. 1. §. 10. Id est, finis actionis tum reverà*  
*existere dicendus est, cum secundum illum agitur. Prout sic*  
*quoq; explicat Eustrat: comment: suo, dicendo: finis earum,*  
*(videlicet actionũ,) pro tēpore, quo aguntur, judicari consuevit.*  
*Quia itaq; actiones, secundum quid violentæ, sunt illo tempore*  
*spontaneæ, quo suscipiuntur; & verò actio maximè ex eo tem-*  
*pore, quo suscipitur, vel invita, vel spontanea est judicanda:*  
*manifestum evadit, actiones, secundum quid violentas, esse*  
*magis spontaneas, quàm invitatas. Porrò, suprâ docuimus: Quæ*  
*laudantur, ac vituperantur, in iis unicè cerni, quæ spontè*  
*fiunt. vid. l. 3. Eth. c. 1. §. 1. Jam autem laudes & vituperationes*  
*sequuntur interdum actiones, quas quodam modo violentas*  
*sive mixtas vocamus. Ob actiones hujusemodi (nempe mixtas)*  
*interdum laudantur, interdum vituperantur. l. 3. Ethic. c. 1. §. 16.*  
*Nam harum actionum sunt varia genera. Quædam sunt,*

H

ob

ob quas homines laudantur, quales sunt, si quis indecorum aut molestum sustinuerit, pro magnis & honestis rebus l. 3. Ethic. c. 1. §. 16. v. gr. quando quis molestias aliquas subire mavult, quam tyranno turpia imperanti obtemperare, præcipuè in negotiò salutis publicæ. Sic laudatur Zopyrus nobilis quidam Persæ, qui, teste Herod. circa finem l. 4. & Justinò l. 1. c. 10., quum Darius, Rex Persarum, Babyloniam diu & frustra oppugnaret, ipse sibi nasum, aures & labia amputavit, & ita ad Babylonios quasi transfuga se contulit, conquerens de crudelitate sui Regis. Receptus igitur à Babyloniiis, & Dux belli constitutus, urbem Dario tradidit. Laudatur Ulysses, qui, ut inquit Homerus,

*Sibi deturpans in honestò vulnere corpus,  
Vestibus induitur laceris, pannosq; collo  
Pallia circumdat, seruoq; simillimus urbem  
Hostilem est ausus, Trojanag; tecta subire.  
Atq; inde ad socios, multorum corpora ferrò  
Obviaprosternens, longè prudentior exit.*

Quædam secundò sunt, ab quas homines vituperantur, quando turpissima, nullius honestæ aut mediocris rei causâ, sustinent: nam improbi hominis est, turpissima sufferre, nullius honestæ aut mediocris rei causâ, l. 3. Ethic. c. 1. §. 17. Sic vituperatione dignus scribitur Dolon, qui, timore perterritus, hostibus omnia consilia prodidit. De quo vid. Homer. l. 10. Iliad. Quædam tertiò sunt, quæ neq; laude neq; vituperatione, sed veniâ dignæ sunt, si quis ea, quæ non debet, agit, ob ejusmodi, quæ & humanam naturam excedunt, & à nullò sustinerentur. l. 3. Ethic. c. 1. §. 18. cum, ut Eustrat: super hunc locum commentatur, vel exuritur, vel secatur, vel vehementi aliquo tormentò plectitur ac cruciatur; tum demum ei ignoscendum est. Inde non leve occurrit dubium: Diximus actiones mixtas esse magis spontaneas,

meas,

neas, quia eo tempore, quo aguntur, fiunt cum electione. Ast tales mixtæ actiones, (quales antè determinavimus, in quibus quis turpe agit ob ea, quæ humanam excedunt naturam) non fiunt tunc cum electione: quia *electio est de iis, quæ sunt in nostrâ potestate* l. 3. Ethic. c. 4. Quæ verò humanam excedunt naturam, non sunt in nostrâ potestate: quippe illa sunt intollerabilia humanæ naturæ, unde & Philosophus addit eis: *Et quæ à nemine perferrentur.* Igitur non omnes actiones mixtæ sunt magis spontaneæ. Quod idem videtur & Philosophus censere, nam docet citat: locò, id genus mixtarum actionum veniâ dignum esse; at verò venia & misericordia est in invitis verè talibus, ut ex l. 3. Ethic. c. 1. §. 1. patere potuit. Quibus etiam subscribit Eustratius comment: in l. 3. Ethic. c. 1. §. 18. Ubi de his talibus actionibus mixtis ita differit: *Interdum, fit, ut quædam actiones neq; laude, neq; vituperiò, sed veniâ dignæ habeantur: id quod invita esse hujuscemodi omnia facile declarat. In invitis enim venia, ut inquit, Et interdum misericordia existit. Neq; mirum id est: nam cum mixtæ actiones hæ sint, in eis modò spontaneum dominabitur, quando laus Et vituperatio consequitur: modo invitum, cui venia exhibetur.* Possemus ad hæc respondere, quòd, quando cum Aristotele diximus, mixtas actiones magis esse spontaneas, illud magis explicandum sit de quantitate mixtarum actionum, ut sensus sit, plures illarum actionum sunt spontaneæ. Verùm, quia docuimus, illas eò esse spontaneas, quòd eo tempore, quo aguntur, fiant cum electione, & quòd omnes illæ ita sint comparatæ, non potest illa responsio locum invenire, & potius dicendum, omnes mixtas actiones esse spontaneas. Quid verò regerendum ad superius? Dicimus: de iis quidem, quæ non sunt in nostrâ potestate, non datur electio, si illa simpliciter

citer ponuntur: v. gr. non est in nostrâ potestate, ut solis cursus retardetur, quod si simpliciter ponatur, an scilicet solis cursus sit retardandus, tum nulla de eo suscipietur electio. At nihil prohibet, quò minùs electio fiat de iis, quæ non sunt in nostrâ potestate, si comparatè ponantur, v. gr. an meliùs sit, studiis operari, quàm cursum solis curare retardandum: tum eligimus id, quod per nos fieri potest. Ita & hîc sentiendum de iis, quæ humanam excedunt naturam, & à nemine perferri possunt: Non enim  $\pi$  humanam naturam excedens, simpliciter consideratum, venit sub electionem; sed comparatè, an scilicet indecens sit eligendum præ eo, quod hominis vires superat, ubi etiam eligitur indecens, quod per nos fieri potest, & deseritur, quod humanam excedit naturam. Unde videmus quòd id genus actionum mixtarum tum, cum aguntur, cum electione fiant, adeoq; pro eo, ac suprâ docuimus, magis spontaneæ sunt. Quod porrò Aristotelem attinet, qui id genus actionum mixtarum, veniâ dignum dicit, reponimus, non inde statim sequi, Ergo Aristoteli quasdam actiones mixtas magis invitæ fuisse quàm spontaneas. Nam si sic, sibi Philosophus non constaret, qui paulò antè in genere docuit, actiones mixtas esse magis spontaneas, quod verò de tãto Philosopho non præsumendū est. Prædictas verò actiones magis esse spontaneas, jam probavimus, quia tunc, cum aguntur, fiunt cum electione. Quæ verò sic comparata sunt, illa magis sunt spontanea quàm invita. Neq; ut aliquid veniâ dignum sit, propterea aliquid vel planè, vel magis invitum est. Nam venia est non solum in verè invitis, sed & in iis spontaneis, quæ neq; laude, neq; vituperatione dignæ sunt, quales sunt, in quibus, cum licet, molestum ac difficile fugimus & jucundius agimus. v. gr. quando quis, ut exquisitiora tormenta

menta

menta & cruciatûs declinaret, per civitatem apertò capite currit. Hoc, cum liceat, non se objicit vituperationi: neq; laude dignum est, cum illud laudetur, quod, & licet, & cum molestiâ seu difficultate conjunctum est. Igitur quod tertium est, veniâ dignum erit. Non igitur rectè ex eo, quod aliquid veniâ dignum est, infertur magis invitum. Eustratio, ex prædictis voti, consentire hâc in parte non possumus, quanquâ aliâse ejus auctoritatem magni habemus. Redimus ad lineam. Quartum genus actionum mixtarum est, in quibus ad perpetrandum turpe, quòd grave sit, nullâ vi ac necessitate impelli debemus, adeò, ut potius mors nobis sit oppetenda, gravissimiq; cruciatûs perferendi. Quod idem Philosophus sic effert: *Quaedam fortasse sunt, ad quæ perpetranda nemo cogi, compellive potest: sed potius extrema quæq; pati, ac mori convenit.* l. 3. Ethic. c. 1. § 19. Sine dubiò illi laudari merentur, qui se ad talia turpia committenda nullâ vi adduci patiuntur. Unde Eustratius comment. in l. 3. Ethic. c. 1. § 23 *Laudem consequuntur, qui molesta potius subire, quàm turpia perpetrare eligunt.* Laudatur Zeno Eleates, qui linguam sibi mordicus arreptam abscidit, atq; expuit prius, quàm arcana sibi credita enunciarer Laertius l. 9. in Zenone. Laudatur Anaxarchus, qui, cum malleis ferreis tunderetur, *tunde, tunde Anaxarchi follem clamabat.* Testes sunt Laertius l. 9. in Anaxarchò. Valerius Max. l. 3. Cujus quoq; meminuit Ovidius hòc versu:

*Aut ut Anaxarchus pilâ minuaris in alta.*

Cicero hos binos omnibus, virtutum studiosis, in exemplum proponit: Zeno, inquit, *propanatur Eleates, qui perpeffus est omnia potius, quàm conscios delenda tyrannidis indicaret.* De Anaxarcho Democrito cogitetur, qui cum in manus Cyprii Nicosreontis Regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est,

*neq; recusavit.* Quibus adjicit tertium, dicendo: *Calanus Indus* (cujus meminit quoq; Strabo l. 15. duobus locis) *indoctus ad barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate vivus combustus est.* l. 3. Tuscul. quaest. n. 52. p. m. 204. Uxor Herculis tyranno, ad libidinem suam coacturo, respondet: *qui potest cogi, nescit mori.* E contrario vituperatione digni sunt, qui cruciatuum minis victi, faciendis quantiscunq; turpibus se permittunt. Sic vituperationi se objecit Alcmaeon, qui, citante Eustratio comment: in l. 3. Ethic. c. 1. §. 19, ita inquit:

*Nam tunc me ad istud incitavit maximè  
Facinus, equestre vehiculum inscendens pater,  
Thebas tumultu cum petebat bellicò & c.*

Videatur quoq; Thucydides in fine l. 2. Ex quibus enotescit, actiones mixtas, seu quodammodo violentas, non esse verè invitas, quia invita actiones nullo modo sunt spontaneæ, neq; fiunt cum præelectione, quemadmodum fieri probavimus actiones mixtas. Igitur quando invita esse dicuntur, quæ, aut vi, aut per ignorantiam, fiunt, intelligitur per id, quod videtur, violentum, non quodammodo, sed planè tale.

§. 4. Cum verò planè violenta sint, quorum principium intrinsecus ejusmodi est, ut ad id neq; agens neq; patiens quicquam conferat. l. 3. Ethic. c. 1. §. 5: apparet, illorum sententiam esse falsam, qui existimant: vitia ita esse invita, ut dicant, *neminem esse sua sponte improbum, sed ad peccandum cogi* l. 3. Ethic. c. 5. (aliàs 7.) §. 7. Nam dicunt: *jucunda & pulchra esse violenta, quòd extrinsecus sint & nos cogant* l. 3. Ethic. c. 1. §. 29. Quæ sententia Platoni adjudicatur. Eustratius comment: in l. 3. Ethic. c. 1. §. 29. & 30. dicit: *Hoc ad Platonem videtur spectare, qui bonos sponte, malos invitos effici dicebat.* Adscribitur quoq; Cyrenais, quorum meminit Cicero Tuscul. quaestio: l. 3., qui ab Ari-



Aristippò sic nominati. De quibus videatur quoq; Laertius l. 2. in Aristippi vitâ. Hanc sententiam eorundem fuisse, docet quoq; Acciajulus, qui, loquens de hâc sententiâ, ait: *hec opinio fuit Cerenarorum, ut ajunt.* Quorum sententia multorum antiquitus pervasit animos, qui ex eadem præsidium capiebant ad excusanda vitia. Inde quoq; illud, scriptis Poetarum valde frequens:

*Quis enim pugnârit amori?*

*Fusit amor. Contra quis ferat arma Deos?*

Falsam dixi illorum esse sententiam, nam ea procedit ex falsâ hypothesis, quæ est: jucunda ac pulchra esse violenta. Esto, quòd illa sint externum principium, ad libidinem sui homines exstimulans: non tamen vera consequentia, Er. sunt violenta; nam ad violenti naturam requiritur, non tantùm, ut principium ejus sit extra, sed & sicut Philosophus docet, *ut id, cui vis adfertur, nihil suæ operæ conferat.* citat: loc. §. 31. Ast improbus omnis, quando jucunda & pulchra se eidem objiciunt, hoc de suâ operâ confert, ut illis jucundis & pulchris se permittere eligat. Si dixerint, illa externa, nempe jucunda ac pulchra tantam habere vim coactivam, ut per illa, præter hominum electionem, rapiantur in vitia. Sed hoc rursum falsum est, quippe, & qui virtutibus dediti vivunt, operantur jucunditatis gratiâ: ut qui operantur ex habitu, *nam signum habituum est voluptas, quæ facta sequitur.* Nam qui à corporis voluptatibus abstinet, si eo ipso gaudet, temperans est. l. 2. Ethic. c. 3. §. 1. Jam & apud illius sententiæ sectatores in confesso est, virtuti deditos non violenter seu invitè, sed sponte agere. Si jucunda non violentiam adferunt probo, cur verò adferrent improbo. *Ridiculum igitur est, honesta sibi, & turpia jucundis adscribere,* meritò ait Philosophus citat. locò §. 30. Omnia  
violenta

violenta fiunt cum dolore & molestiâ: sic violentum est, quando nauta merces in mare projicit, tempestate in perniciem ejus sæviente, & hoc fit cum molestiâ & dolore, neq; datur exemplum dissimile. Ast quæ jucunditatis & pulchritudinis causâ fiunt, nō fiunt cum dolore: sic qui jucunditatis & dulcedinis gratiâ, vino indulget, is hoc non facit cum dolore, sed potiùs, cum jucunditatis sensu. Consentanea sunt, quæ Philosophus ita effert: *hi vi aliquâ coacti agunt cum molestiâ; alteri autem* (nempe qui jucunditatis gratiâ operantur) *jucundè cum voluptate.* præd: locò §. 29.

De invitò  
per igno-  
rantiam.

§. 5. Quoniam invita diximus esse, quæ, aut vi, aut per ignorantiam fiunt; & verò jam determinavimus, quid sint invita, quæ vi fiunt: reliquum est, ut determinemus, quid sint invita, quæ per ignorantiam fiunt. In duplici differentiâ sunt, quæ per ignorantiam fiunt: quædam per ignorantiam fiunt, sequente dolore & pœnitentiâ, quædam sic fiunt, nullo sequente dolore & pœnitentiâ. Quæ fiunt per ignorantiam, nullo comitante dolore, neq; sponte neq; invitè fiunt. Non sponte, quia talia fiunt à cognoscente, Acciajulus comment. in l. 3. Ethic. c. 1. similia docet: *quod agitur sponte, agitur per cognitionem nostram.* Neq; invitè, quia invita vel dolorem, vel pœnitentiam inducunt. Sed nihil horum de illis, per ignorantiam factis. Igitur neq; spōte neq; invitè facta sunt. v. gr. si quis pro plūbò, sibi debitò, ignorans accepit argentum, & postea hoc accepisse neq; cum dolet neq; pœnitet, talis dicendus est, quòd nec invitus, neq; sponte acceperit. Quæ verò per ignorantiam fiunt, sequente dolore & pœnitentiâ, illa invitè fieri rectè dicuntur: Quibus genuina sunt, quæ Philosophus habet, dicens: *Quod autem sit per ignorantiam, sit omne quidem illud non sponte; ceterum invitè*

*invitè fieri id demum dicendum, quod sequitur dolor, cuiusq; eum, qui egit pœnitet. l. 3. Ethic. c. 1. §. 32. (aliàs cap. 2.) Dices, si id, quod per ignorantiam fit sine sequente dolore, neq; est spontaneum, neq; invitum, quid ergo est? Resp. est medium inter invitum ac spontaneum; ad hoc verò internoscendum ab invitò ac spontaneò, cum propriò careat nomine, potest vocari non spontaneum. Quod, præter Aristotelem præd. loc. etiam censet Eultratus comment. suò, dicens: aliud nomen est imponendum ipsi, (nempe quod sine dolore per ignorantiam fit) nec invitum nominandum, sed potius non spontaneum. Ne fallaciã æquivocationis implicemur, hæc notanda est in hõc negotiò divisio: Invitum generaliter sumtum distribuitur in violentum & id, quod per ignorantiam fit. Quod per ignorantiam fit, in invitum, & non spontaneum.*

§. 6. Dictò, illud per ignorantiam factum esse invitum, quod sequitur dolor & pœnitentia: definiendũ jam est, quid sit *per ignorantiam fieri*. Per ignorantiam id fieri dicitur, cuius principium & causa est ignorantia: sic ex ignorantia factum esset, si quis pater, cum hoste confligens, filium interficeret, arbitrando, eundem esse peregrinum. Similia habentur non solum l. 3. Ethic. c. 1. §. 36. (aliàs c. 2.) sed & l. 5. Ethic. c. 10. Datã jam definitione ejus, quod per ignorantiam fit, patescit, quid existimandum sit de iis, qui ebrietate, aut irã vehementiori occupati, aliquid designant, cuius ipsi sunt ignorantes, exempli grat: de eo, qui, vinò impletus, aliquem interficit, quem à se interfici, ipse ignorat. De Oedipò, qui, cum Thebas iter faceret, & à Cajò parente, quòd occurrens de viã non cederet, sceptrò percuteretur, irã inflammatus, eundem interfecit, quem patrem suum esse ignorabat. Sophocles in Oedipò Tyrann., videatur etiam Diodorus Sicul: l. 4. c. 7. Qui quòd

I non

non per ignorantiam fecerint, facile jam est judicare. Qui enim ex ebrietate, ut ut facti sit ignorans, aliquid committit, ejus principium & causa non est ignorantia, sed ebrietas; nam ex ebrietate aliquid patrare dicitur id, in quo actionis causa est ebrietas. Jam verò per ignorantiam dicitur id fieri, cujus principium, non est ebrietas, sed ignorantia. Idem judicium est de Oedipò, qui praveniente irâ patrem, quem ignorabat, occidit. Unde nec invitè egisse possunt dici. Dices, si non ex ignoratione egisse dicendi sint, qui ergo possunt dici ignorantes egisse. Resp. aliud est, ex ignoratione agere, aliud rursus, ignorantem agere. Ignorans agere dicitur is, qui tunc, quando agit, ignorat, quid agat. Jam qui per ignorantiam agit, ignorat quidem etiam, quid agat, quando agit; verùm præter hæc in eodem & id supponitur, quòd ignorantia sit principium actionis, adeoq; ignorantem agere latius patet, quàm ex ignorantia agere, potest enim qui ignorans agit, principium agendi habere non solùm ignorantiam, sed vel ebrietatem, vel iram, vel aliud quippiam. Quod & subindicat Eustratius comment. in l. 3. Ethic. c. 1. §. 36. dicendo: *Qui ex ignoratione agit, etiam ignorans agit; qui autem ignorans agit, non statim ex ignoratione agit.* Differentiam eam inter ignorantem agere, & ex ignorantia agere non obscurè agnoscit ipse Philosophus, ita enim ait: *Diversum quoq; est, ex ignoratione, & ignorantem agere; qui enim vel ebrius est, vel iratus, non videtur ex ignoratione agere, sed ob aliud quidpiam ex his, que dicta sunt: quippe cum non sciens, sed ignorans agat.* l. 3. Ethic. c. 1. §. 36. seq.

§. 7. Nec dum statim invitum est, cujus causa est ignorantia qualiscunq;: sic in omnibus vitiosis causa agendi est ignorantia: non illi quidem ignorant se injusta facere, sed  
igno.

ignorant tamen, illa injusta esse perniciofa & habere finem malum, aliàs enim non illa appetent, omnia enim appetuntur sub ratione boni. His consona sunt hæc Eustrat: dict: locò: *cum omnes homines bonũ appetant, ad injusta perpetranda inducuntur, non quòd injusta ea esse ignorent, sed quòd decepti utilia sibi fore arbitrentur.* Quibus subscribit & Acciajol: comment. suo in hunc locũ: *Omnis agit malus ignorans, quia ignorat finem, ob quem agit: & cum sit malus, illum finem existimat esse bonum, quia habet corruptum judicium.* H. J. Hæc ignorantia est in vitiosis causa, ob quam vitiosè vivunt, per illamq; ad mala agenda moventur: nam finis vitiosorum, quo ad agendũ inducuntur, est tantũm specie bonus: specie autem bonum est falsum bonum; falsum verò procedit ex ignorantia. Igitur ignorantia est in vitiosis causa, quã ad agendum moventur. Quibus per omnia consentit Philosophus, dicendo: *Unusquisq; pravus, quid agendum, à quibus abstinẽdum sit, ignorat; obq; hunc errorem injusti & omninò mali homines efficiuntur.* l. 3. Ethic. c. 1. §. 38. (aliàs c. 2.) super quæ verba Eustrat: ita commentatur: *inquit & c. ex hujusmodi ignoratione injustos & malos omnes evadere.* Ergo ignoratio est principium agendi in malis: quia ex quo homines mali efficiuntur, idem sit oportet causa malè agendi in ipsis. Ast improbi, ut suprã diximus ac docuimus, non invitè vitiosè vivunt: non igitur omne id est invitum, cujus causa est ignorantia qualiscunq;: Qualis jam ignorantia debet causa esse facti, ut illud sit invitum? Ignorantia triplex datur, *alia est in ratione seu consultatione,* quã ignoramus, an hoc vel illud in singulari expediat, v. gr. quando ignoramus, non conducibile seu justum esse, Euclioni suam surripere pecuniam. Justum enim & conducibile in Politicis unum idemq; sunt: quia id ibidem dicitur con-

ducibile, quod beatitudinem civilem promovet, ut videre est  
 l. 1. Pol. c. 2. At id nihil aliud est, nisi justum; *nam ea*, inquit Phi-  
 losophus, *justa dicimus, quæ beatitudinem civilem, ejusq; partes*  
*civili societati, & efficiunt & conservant* l. 5. Ethic. c. 3. Unde l. 8.  
 Ethic. c. 11. ait: *Justus est, quod communiter conducit*. Igitur perinde  
 est, siue justum, siue conducibile seu utile dicamus: perinde  
 per consequens est, an dicamus, ignorantia in consultatione  
 est, qua ignoramus, an hoc vel illud expediat: vel an hoc vel  
 illud justum sit. Dicitur hæc *bonesti, utilis ignorantia*, item  
 ignorantia finis. Potest etiam dici ignorantia pravæ consulta-  
 tionis seu rationis. Alia est *in dianoiâ*, cujus habitus est scien-  
 tia, quæ est universalium conclusionum. Talis est, qua igno-  
 ramus conclusionem universalem, vitæ civili necessariam,  
 quæ in scientiis probatur, & in Syllogismò, quo utitur pru-  
 dens, tanquam præmissa aliqua præsupponitur. Seu, ut vulgò  
 definitur, est, in quâ ignoramus, quid in universali agendum,  
 & à quibus abstinendum. v. gr. quando ignoramus, an justum  
 sit, patriam defendere, an injustū, furari. Hæc dicitur ignoran-  
 tia universalis: item ignorantia juris. Eustrat: comment: in l. 3.  
 Ethic. c. 1. §. 39. *Ignorantiam utilis confundit cum ignorantia*  
*universali*, hancq; cum illâ unam eandemq; dicit, ita enim  
 ipse *ignoratio* (nempe ejus, quod expedit) *in electione consistit,*  
*estq; universalis*: Verum, ignorantia *utilis* est in ratione; igno-  
 rantia verò universalis est in *dianoiâ*: nam singularia, quæ ad  
 actionem pertinent, in quibus versatur ignorantia utilis, sunt  
 objectum rationis: universales verò conclusiones, in quibus  
 ignorantia universalis seu juris versatur, sunt objectum dia-  
 noias. Quæ verò subjectis differunt, quibus insunt, illa non  
 possunt idem esse. Unde Philosophus non obscure ignoran-  
 tiam ejus, quod expedit, distinguit ab ignorantia, quæ univer-  
 salis

falis dicitur, ita enim ipse: *Invitus dici debet, non si quis igno-*  
*rat, quod expedit: neq; item, si hæreat in universali ignorantia*  
 l. 3. Ethic. c. 1. §. 39. (aliàs cap. 2.) Quod dicere Philosophus non  
 potuisset, nisi eidem alia esset ignorantia *utilis* & alia *univer-*  
*salis*. Alia tandem est *circa circumstantias singulares*, quibus  
 actiones circumscribuntur, quâ ignoramus aliquas vel plures  
 circumstantias, in quibus præcipua vis actionis consistit: v. gr.  
 quando ignoramus eum esse filium, quem tanquam hostem  
 percutimus. Dicitur hæc à Jurisperitis *ignorantia facti*. Non  
 id factum est invitum, cujus causa est ignorantia *utilis*, vel  
 etiam ignorantia *universalis*: nam utraq; fit cum electione  
 & est adfectata: quippe ea, quorum est & ignorantia utilis, &  
 ignorantia universalis, cognoscere & discere, erat in potestate  
 nostrâ, si iis cognoscendis ullum adhibere voluissemus stu-  
 dium: sic in potestate nostrâ est cognoscere, num justum sit,  
 huic homini pecuniam eripere: item, num justum sit, patri-  
 am defendere ab hostibus. Jam verò ea ignorare, quæ scire  
 est in nostrâ potestate, est ignorare cum electione & adfecta-  
 tæ: omne enim id fit à nobis cum electione, cujus contrarium  
 est nostræ potestatis: v. gr. cum vitiosa actionis contrarium,  
 nempe studiosa actio, sit in nostrâ potestate, ipsa vitiosa quoq;  
 à nobis fit cum electione. Cujus verò facti causa est ignora-  
 tia cum electione sibi inducta, seu uno verbò adfectata, id  
 non potest esse invitum: quia nullum invitum, ut sæpius di-  
 ximus, fit cum electione, aut causam habet, quæ sit cum ele-  
 ctione. Cum quibus concordat Eustratius, dicendo: *cum nesci-*  
*at ea, quæ in potestate ejus erat discere, sponte nescit, ipse igno-*  
*rancia causa adscribenda est comment. in l. 3. Ethic. c. 1. §. 42.* Igitur  
 id factum, cujus causa est ignorantia vel *utilis* vel *universalis*,  
 non est invitum: & talis aliqua ignorantia est causa agendi in

omnibus improbis. Hinc ignorantia universalis talis est, docente Philosophò, *Ob quam homines vituperantur* l. 3. Ethic. c. 1. §. 40. Jam autem si invita ea esset, à legibus & iudicibus veniam consequeretur, prout omne invitum, quam tamen non consequitur. Hinc porrò utraq; illa ignorantia dicitur pravæ dispositionis. Id verò factum invitum est, cujus causa est ignorantia, quæ est circa circumstantias singulares.

§. 8. Antequam ostendamus id esse invitum, cujus causa est ignorantia in singularibus circumstantiis, noscendum est, quæ & quot illæ singulares circumstantiæ sint. Circumstantiæ sunt, quis, quid, circa quid, vel in quo, quo, cujus causâ, & quomodo. Quæ tamen ignorari omnia, nisi ab infanò, non possunt, se enim ipse, qui agit, nisi insaniat, nunquam ignorabit. *Quis* notat circumstantiam personæ, quæ agit: quæ licet ignorari non possit, ab Aristotele ideo posita est, docente Eustrat:, ut illa una esse ex circumstantiis singularibus cognoscatur. *Quid* est circumstantia rei, seu indicat ipsam actionem: si cui inter loquendum quædam verba excedunt præter mentem, ut Æschylo, de quo Heraclides Ponticus in primò, de Homerò, librò scribit, parum abfuisse, quin in scenâ eâ de causâ fuerit interremtus, quòd nonnulla de mysteriis prodere videretur. Simili modò facti exemplum est, cum quis catapultam ostendere amico volens, jaculum emisit, amicumq; vel vulneravit, vel interfecit. *Circa quod* seu *in quo* subjectum significat, circa quod vel in quo actio consistit: in homine ignorantia evenit, si filium hostem aliquis putet, & interficiat, circa quem actio consistit. Quod Merojæ apud Euripidem accidit in Cresphonte fabulâ. Potest etiam *in quo* explicari de locò, in quo actio suscepta, ut puta  
in



In sacro, quem profanum aliquis existamaverit, inde jam  
 quoque circumstantia loci. *Quomodo* instrumentum signifi-  
 cat, quod ignorare aliquis potest, quomodo se haberet, ut si  
 quis hastam euspide præferratam, quàm credat obtusam esse:  
 vel lapidem, quem credat pumicem esse, in aliquem proji-  
 ciat, atque ita imprudens interficiat. *Cujus causa* notat finem,  
 qui ignoratur, cum aliud facere volumus, & aliud evenit, ut,  
 si venenum alicui salutis causâ exhibemus, idque mortiferum  
 esse ignoravimus. Vel si cædamus curandi causâ, ille autem  
 pereat, cum tamen ideo à nobis non casus fuerit. Tandem  
*quomodo* quis agat aliquid, potest ignorari, ut, cum leviter per-  
 cutere putans, ictum vehementer infligit. Inter hæc autem  
 principem locum obtinent, ut docet Philosophus citat: loco  
 § 49, in quibus actio consistit, & cujus gratiâ. Qui jam horum  
 aliquid ignoravit, invitus fecisse videtur, maximè in præci-  
 puis: nam talis ignorantia non fit cum electione: nam quæ  
 cum electione fiunt, ea à nobis & eliguntur & fiunt: Sed qui  
 ex ignorantia tali aliquid agit, is aliud agere eligit, aliud egit,  
 v. gr. qui, catapultam ostendere amico volens, jaculum emisit  
 & eo eundem interfecit, is elegit hoc agere, ut catapultam  
 amico ostendat; aliud verò ab hoc egit, dum ostensurus ean-  
 dem, jaculum emisit in perniciem amici. Idem testatur Eu-  
 stratus de eo, qui ex tali ignorantia egit, dicendo: *aliud enim*  
*facere volens, aliud egit, ignoravit igitur, quod fecit.* comment.  
 in l. 3. Ethic. c. 1. §. 47. Nondum sufficit ad factum aliquod in-  
 vitum, ut ejus causa sit ignorantia in circumstantiis singulari-  
 bus, sed necesse est, ut factum, tali ignorantia commissum,  
 dolorem ac poenitentiam ei, qui egit, adferat. *Oportet, inquit*  
*Philosophus, ut actio hæc, quæ ex tali ignorantia facta esse dici-*  
*tur, dolorem & poenitentiam adferat* l. 3. Ethic. c. 1. §. 50. (aliàs  
 62.)

c. 2.) Ad eundem gustum sapiunt hæc Eustratii, in suo comment., ubi de factis, quæ ex tali ignoratione procedunt, loquitur: *Hæc omnia tunc censentur invita, cum dolore aut pœnitentiâ adficitur is, qui egerit; alioquin non invita; sed spontanea dicentur.*

§. 9. Unicum adhucdum circa hæc notandum est, inveniuntur homines, qui amorem vel odium prætendunt, quando aliquid commiserint, dicentes, non aliter potui propter amorem, propter odium, unde disquiritur, utrum ea dicenda sint invita, an spontanea, & per consequens talia, quæ mereantur veniam? Arist. l. 3. Ethic. c. 1. §. 52. (aliàs c. 3. 4. tuor inducit rationes, quibus ostendit, illa non esse invita atq; veniâ digna. 1. si ea, quæ ex adfectu fiant, invita dicenda, utiq; omnia, quæ pueri & bruta agunt, invita forent, quia pueri, cum nondum rationis habeant exercitium, ex merò adfectu agunt, similiter bruta, ut quæ planè ratione destituuntur. 2. sequeretur porrò, ut multa, quæ honestus agit, forent invita; multa enim honestus ex adfectu agit, v. gr. amat Deum, eruditionem, honestatem, &c. quæ utut ex adfectu fiant, non tamen sunt invita. 3. Quæ invita sunt, cum molestiâ & dolore conjuncta sunt, ut suprâ probavimus, sed nihil horum de iis, quæ ex adfectu fiunt, quia illa potiùs sunt jucunda, quæ ex irâ fiunt, sunt delectabilia. 4. Quæ invita sunt, eorum principium est externum; adfectus verò sunt intrinsecus, sunt enim interni motûs appetitûs sensitivi. Igitur, quæ ex adfectu fiunt, non sunt invita.

De sponta-  
neô.

§. 10. Quum igitur invitum sit, quod vel vi, vel ignoracione agitur, erit per naturam contrarii spontaneum, prout & ita definit Arist. l. 3. Ethic. c. 1. §. 51. (aliàs c. 3.) *Cujus principium est in ipso agente, singulas circumstantias, in quibus actio consistit,*  
cogno

*cognoscente.* Binæ requiruntur conditiones, ut aliquid dicatur spontaneum. Prima, ut ejus principium sit internum, seu in agente: principium internum in animantibus est duplex, vel appetit<sup>us</sup> rationalis, qui dicitur proæresis hominis, vel appetitus sensitivus, secundum quem omne animal appetit bonum, & fugit malum. Ex utroq; fiunt actiones spontaneæ. Quidam negant, bruta spontè agere; verùm ea sponte agere, certum est: nam sponte agere est ex quâdam inclinatione animæ, cognoscendi facultate præditæ, ad agendum moveri; hoc autem non solum hominibus, sed & brutis convenit, ut quæ per sensûs externos cognoscunt, & per ejusdem appetitum, vel ad saltandum, vel ambulandum, vel propagandum sibi simile, moventur. Secunda conditio est, ut agens singulas circumstantias, in quibus actio consistit, cognoscat: nam si una harum ignoretur, exspirat spontaneum, seu actio spontanea. Unde rectè Eustrat<sup>us</sup> prædict<sup>us</sup> loc. *Utræq; particula ad spontaneum constituendum necessariae sunt, ut scilicet: & principium sit in agente, & agens particularia cognoscat.* Nam qui ex ignoratione agit, habet principium agendi in se, nec tamen sponte egisse dicendus: & qui particularia cognoscit, non statim dicendus sponte agere, cum & eadem cognoscere possit, qui violentiâ inductus agit.

§. II. Spontaneum non est unius generis, sed duplex, De Prox. quod jam ex prædictis utcunq; haberi potuit, vel est ex appetitu rationali: vel ex appetitu sensitivò, quod brutis & pueris convenit: illud dicitur proæresis seu electio, hoc spontaneum, & idem, cum spontaneò in genere, gerit nomen. Non verò absurdum est, unum vocabulum esse generis & speciei, sic dispositio dividitur in habitum & dispositionem l. cat. c. 8. Exhalatio & generis & speciei vox est l. i.

K

Meteor.

Meteor. c. 3, Proæresin esse speciem spontanei, vel ex his Aristotelis patere potest: *proæresin verò spontaneum quoddam esse apparet, non idem tamen prorsus est: spontaneum enim latius patet: nam & spontaneum cum pueris & reliquis animalibus commune est, electio minimè: & repentina spontanea sunt, non autem ex proæresi.* l. 3. Ethic. c. 2. §. 34. (aliàs c. 4.) l. 2. Eud. c. 8. Hæc verò est generis ratio, de specie dici, & eadem latius patere, v. gr. animal dicitur de homine, & eodem latius patet, hinc ejus genus rectè dicitur. Quibus congruit cum his Eustratii verbis: *Tractationem de spontaneo sequi de proæresi dissertatio videtur: nam & species spontanei est proæresis, & paulò post spontaneum proæreseos genus esse, manifestum est.* Eustrat. comment. in l. 3. Ethic. c. 2. §. 1. Nemo potest dici virtute præditus, nisi qui honesta agit ex proæresi: nam virtus in genere est *habitus proæreticus* l. 2. Ethic. c. 6. id est habitus ex proæresi: hinc qui honesta agit forte fortunâ, non est virtute præditus, ut passim docet Philosophus. Quò pertinent ea, quæ Philosophus l. 3. Ethic. c. 2. §. 2. (aliàs c. 4.) habet: *ex proæresi magis, quam ex ipsis actionibus mores judicandi videntur.* Quum igitur proæresis sit virtuti conjunctissima, & species spontanei: meritò eadem hinc suscipitur consideranda, ubi de spontaneo in genere egimus.

§. 12. Determinaturi, quid sit proæresis, præmittimus, quid proæresis non sit: quia illa, quæ non sunt, sunt nobis notiora. Et à nobis notioribus esse incipiendum, docet Philosophus l. 1. Ethic. c. 4. §. 11. Unde & Philosophus, determinaturus, quid summum bonum sit, initium fecit ab iis, quæ non sunt Summum Bonum. dl. & sequent: Dum igitur præmittere cupimus ea, quæ non sunt proæresis: Sciendum est, non illa omnia, quæ non sunt proæresis, excu-  
tienda

tienda suscipimus, sed quæ vel ex auctoritate quorundam, vel ex probabilitate cujusdã rationis, speciem habent veritatis. Quod observandum quoq; docet Philosophus l. 1. Ethic. c. 4. §. 7. & l. 1. Eud. c. 3. Item Cicero l. 1. Academ. Quæst. n. 130. Ex hõc numerò sunt hæ sequentes sententiæ, quæ tenebant proæresin esse, vel cupiditatem, vel iram, vel voluntatem, vel opinionem quandam. Eas opiniones recenset quoq; Philosophus l. 3. Ethic. c. 2. (4) §. 6. Proæresin esse, neq; cupiditatem, neq; iram, evincunt, quas ex Aristotele enotavimus, stringentes rationes. Primò Proæresis nobis non est communis cum brutis: nam proæresis fit cum consultatione, quod postea enotescet. Consultatio verò est hominis propria, hinc *solus homo consultans animal esse dicitur* Eustrat. comment. In l. 9. Ethic. c. 9. §. 28. Et Alexandro Aphrodisi: lib. de fatò & libertate. Quippe *consultare & ratiocinari idem sunt* l. 6. Ethic. c. 2. at verò ratio soli homini convenit, hinc Aristoteles, *solus homo ratione præditus est* l. 7. Pol. c. 13. Sed cupiditas & iracõvenit quoq; in bruta, ut quæ appetitu sensitivò instructa sunt, cujus motùs sunt cupiditas & ira. 2dò Continens cum electione, non cum cupiditate, agit, incontinens verò cum cupiditate; non cum electione l. 3. Ethic. c. 2. (4) Nam cum electione agere, est ratione præscribente ac dominante, cui appetitus obtemperat ac servit, agere. Contrà cum cupiditate agere, est appetitu sensitivo dominante, & serviente ratione, agere. Jam verò quia omnis virtuti deditus, ratione præscribente ac dominante, agit, etiam continens sic aget, atq; adeo cum electione. Et quia omnis vitiosus, appetitu sensitivò dominante, agit, etiam incontinens, adeoq; agit cum cupiditate. Quum jã proæresi & cupiditate subjecta distingvantur, ut alterum sit probum, alterum improbum, etiam proæresis & cupiditas adinvicem sint distincta, oportet.

ret. 3. Cupiditas jucundi ac molesti est; at electio neq; jucundi, neq; molesti, sed boni & mali, honesti ac turpis. 4. Quæ deniq; ex irâ fiunt, minimè ex electione facta existimantur: nam, ut diximus, quæ electione fiunt, fiunt cum consultatione, quæ verò ex irâ, non fiunt cum consultatione.

§. 13. Neq; porrò proæresis seu electio voluntas est: nam 1. voluntas est eorum quoq;, quæ fieri non possunt, ut immortalitatis, sæpè enim dicere consuevimus, vellem semper vivere, vellem esse immortalis. vid. l. 3. Ethic. c. 2. (4) §. 14. & l. 1. Rhet. c. 6. At proæresis non est eorum, quæ fieri non possunt, nam qui talia eligeret, stolidus videretur. 2. voluntas est eorum etiam, quæ non sunt in nostrâ potestate, ut ea fieri possint, veluti athletam aliquem victorem evadere: quomodo medicus vult ægrotum, quem curare non potest, convalescere. Proæresis verò est eorum tantùm, quæ sunt in nostrâ potestate, aut quæ quis talia existimaverit 3. Voluntas est maximè finis, volumus scil: sani esse, felices esse. Proæresis verò esse eorum tantùm, quæ ad finem ducuntur, i. e. mediorum, veluti eligimus ea, quibus sani, quibus felices esse possumus. Neq; tandem proæresis est opinio. Nam 1. opinio versatur circa omnes res, tam circa res æternas, quàm corruptibiles, tam circa eas, quæ sunt nostræ potestatis, quàm quæ non sunt. Sed nihil horum de proæresi. Vid. Arist. l. 3. Ethic. c. 2. (4) §. 18. & seqq. 2. Opinio distinguitur verò & falsò: nam alia opinio est vera, alia falsa. At verò proæresis distinguitur bonò & malò, ut dicatur vel bona, vel mala. Possset quis distinguere inter opinionem de universalibus, & opinionem de particularibus, & quidem agendis, & sic statum quæstionis informare: non dicitur electio opinio, quæ est de universalibus: bene tamen opinio, quæ est de

de agendis particularibus. Sed nec sic proæresin esse opinionem, sequentia dabunt. Nam 1. eligendo bona vel mala, qualitate quadam adfecti sumus, qui bona eligunt boni sunt, qui mala, mali. Propter proæresin dicimur tales, qualia sunt ea, quæ eligimus: ut qui eligit ea, quæ sunt iusta, justus dicitur; At verò opinando bona vel mala, minimè qualitate aliquâ adficimur: propter opinionem non dicimur tales esse, qualia sunt, quæ opinamur: v. gr. nemo propterea est temperans ac justus, quia de his opinatur. 2. Electio aut persequitur aut fugit objecta. Opinio non persequitur aut fugit, sed cognoscit, quid unum quoq; sit, cui quid & quomodo conducatur, ut ægrotantibus tenuem victum esse utilem ob concoctionis facilitatem. 3. Proæresis laudatur propter bonitatem; vituperatur verò propter pravitatem. Opinio verò non ideo laudatur, sed propter veritatem, seu quia vera est; vituperatur propter falsitatem. 4. Electio est eorum, quæ maximè scimus esse bona, aut scire existimamus. At opinio, est eorum, quæ non admodum scimus. 5. Si proæresis esset opinio sequeretur, omnes, qui optima opinantur, & optima eligere; Sed non omnes, qui optima opinantur, & eadem eligunt: nam *quidam sunt, qui melius opinantur, ob vitium tamen, quæ non decet, eligere consueverunt.* 1. 3. Ethic. c. 2. (4) v. gr. si quis justitiam bonum opinatus, injustitiam tamen faciendam existimat, habetq; huic existimationi consentientem appetitum Eust. comment. in h. l. Unde illud: *meliora video, deteriora sequor,* sc: cupiditate victus.

§. 14. Quum nihil eorum, quæ suprâ dicta sunt, sit proæresis: dicendum restat, quid & qualis eadem sit. Remotis suprâ dictis, remanet, proæresin esse spontaneum quid. *Spontaneum sanè esse quoddam videtur,* docet Philosophus,

K 3

loquens

loquens de proæresi l. 2. Ethic. c. 2. (4) §. 29. it. l. 1. m. m. c. 17. §. 18. Suprà §. 11. docuimus, spontaneum esse duplicis generis, vel quod fit ex appetitu rationali, vel ex appetitu sensitivò: meritò disquiritur, num utrumq; spontaneum proæresis sit? Negamus, spontaneum ex appetitu sensitivò esse proæresin: nam proæresis est cum consultatione seu ratione: quippe eligere nihil aliud est, quàm aliquid ante alia ponere & sumere v. gr: quando homo salutem publicam eligit, negligendo divitias proprias, sanitatem ac vitam, tum salutem publicam ponit ante hæc. Quod & indicat Græcum vocabulum *μεγαλίστη*, id enim descendit à *μεγαλίστην ἀπέχει* i. e. ante alia sumere vel ponere. Jam aliquid ante alia ponit ratio: unde Eustrat. comm. in l. 3. Eth. c. 2. §. 31. *Quod ante alia ponitur, ex præconsultatione & consiliò ponitur.* Nam ante alia aliquid ponere, est idem inter alia utile cognoscere, & cum sola ratio aliquid sub ratione utilis cognoscat, evidens est, illà unicè aliud aliis antepondere. Quia verò proæresis id appetit, quod aliis ante positum est, certum est, eandem esse cum ratione seu consultatione. Quod ut verbò explicem, eligere est aliquid appetere sub ratione utilis. Sed nihil horum de spontaneò ex appetitu sensitivò, id enim non appetitur sub ratione utilis, sed jucundi: nam quicquid sub ratione utilis appetitur, id appetitur propter beatitudinem civilem. *Utilia honestorum causâ suscipiuntur*, l. 7. Pol. c. 14. (15) *Honestæ verò sunt actiones virtutis, nam docente Philosophò, honestum est virtutis finis* l. 1. m. m. c. 2. Cujus finis sunt actiones virtutis, quod vide fusiùs diductum Palæstr. 8. §. 7. In actionibus autem virtutis beatitudo civilis consistit; at spontaneum ex appetitu sensitivò non ob beatitudinem civilem, seu honesta appetitur. Nam id brutis & pueris convenit, quæ non respiciunt



spiciunt beatitudinem civilem, neq; ex ratione agunt. Igitur proæresis erit spontaneum ex appetitu rationali, quod Philosophus vocat *spontaneum praconsultatum* l. 3. Ethic. c. 2. (4) §. 30. Cum verò causa, ex qua aliquid fit, in definitione in casu rectò ponatur, veluti ecclypsis solis fit ex interpositione terræ diametrali, & definitur, quod sit ipsa interpositio terræ diametralis; & verò proæresis ex appetitu rationali fiat: nihil quoq; hic prohibebit, quò minus proæresin definiamus, quòd sit appetitus, qui sequitur rationem seu consultationem: nam facultas cognoscens semper antecedit appetitum suum: veluti sensus, qui sunt facultates cognoscens, antecedunt appetitum sensitivum.

§. 15. Quia proæresis est appetitus, qui sequitur consultationem, non erit illa de iis, de quibus non est consultatione. De Consul-  
tatione.  
tatio. Ea de quibus consultamus, dicuntur consultabilia. Illa verò dicuntur consultabilia, *de quibus mentis compos, non stolidus vel insanus consultaret* l. 3. Ethic. c. 3. (5) §. 2. Non sunt consultabilia 1. æterna: *de æternis nemo consultat* l. 3. Ethic. c. 3. §. 3. nemo cōsultat de mundò, quòd sit æternus, sed querit tantum & investigat, an ita sit. 2. Neq; ea, quæ semper eodem fiunt modò; ut ut perpetuò moveantur, nemo deliberat, de ortu & occasu solis. 3. Neq; quæ secundum naturam inordinatiùs fiunt, veluti non consultamus de imbris & siccitatibus, quia hæc humanò consiliò non possunt mutari &c. 4. Neq; quæ fortuito fiunt, quia fortuita non habent causas, rationes, propter quas possunt investigari ac præcaveri: deinde omnis consultatio nititur causâ & ratione; fortuna verò rationi est adversa 3tiò consultatio semper certum finem habet propositum, sed nihil horum de fortuitis. Sic de inventione thesauri nemo deliberat 5. Neq; præ-  
terita,

terita, quia illa, ut mutantur, non sunt in nostrâ potestate; nemo deliberat, quomodo mortuus vivus reddatur. 6. neq; finis, sed quæ nos ad finem ducunt, in consultationem veniunt: ita medicus non de sanitate sed pharmacis, quæ ad sanitatem recuperandam ordinantur, consultat. Deliberamus itaq; de mediis, quæ sunt res humanæ. Res humanæ sunt quædam, quæ per nos fieri possunt, quædam non: de postremis nemo deliberat, v. gr. quomodo mendicus Rex fieri possit. Deinde Res humanæ sunt quædam, quæ ad nos pertinent, quædam quæ non; de postremis rursus nemo deliberat, v. gr. quomodo Scythæ Rempubl: optimè administrare possint. 3tò dantur res humanæ, quæ à naturâ fluent, v. gr. ut homo hominem generat, de talibus non consultamus; Vel etiam à necessitatis impulsu ex. gr. vim repellere vi, de talibus neq; fit consultatio. 4to Dantur quædam, quæ sunt certæ, & sub scientiam cadunt, & quæ sunt incertæ, de illis nemo deliberat.

§. 16. Consultabilia sunt res agenda, quæ 1. in nostrâ sunt potestate 2. quæ ad nos pertinent. De his fit consultatio; in consultatione verò ita procedendum, ut respiciamus. 1. ad initium, 2. ad ipsam consultationem 3. ad finem consultationis. Circa initium proponendus est certus finis, ad quem consultatio dirigatur: advocandi sunt consilarii fideles & prudentes, si se res ardua objiciat. Circa ipsam consultationem ponderanda sunt media, & primò, numerus mediorum, num uno vel pluribus mediis præfixum finem obtinere queamus: 2dò qualitas mediorum, num ad honestatis gustum sapiunt vel non. 3tò delectus mediorum faciendus, præferenda sunt facilia difficilibus, licita illicitis. Circa finem pensiculanda occasio, ne, negligendo, eandem in perniciem

ciem rei amittamus. Adnotemus quoq; quòd consultatio quidem quæstio sit, sed, non omnis quæstio consultatio l. 3. Ethic. 3. (5) adeoq; quæstio latiùs patet: nam quæstio de Mathematicis v. gr. an dimetiens linea lateri sit commetiens? Quæstio dæternis, an sol globus sit, non est consultatio. Deinde notemus, consultabile latiùs patere quàm eligibile: omne eligibile est consultabile, sed non omne consultabile est eligibile? de multis consultamus, ast unum tantùm ex multis determinatum eligimus, hinc docet Philosophus, eligibile esse *consultabile definitum* l. 3. Ethic. c. 3. (5) Nam quousq; consultamus, adhuc res est indefinita ac dubia; cum verò eligimus, jam definitum est, quid agendum sit.

§. 17. Voluntas, quæ eò proæresi ad finis est, quòd De voluntate. utraq; sit appetitus, est boni vel veri, vel apparentis & opi. tate. nione talis appetitio: nam voluntas est finis l. 3. Eth. c. 2. (4.) Finis verò convertitur cum bonò l. 1. Eth. c. 1. Bonum verò aliud est verum, aliud apparens. Non est voluntas tantùm boni veri, nam si voluntas esset tantùm veri boni, etiam voluntas pravorum hominum, quæ appetit malum, erit boni veri, & per consequens verum bonum esset malum. Deinde si solùm verum bonum esset objectum voluntatis, sequeretur, homines non posse mala sub ratione boni velle, quod absolum. Bonum apparens non est tantùm objectum voluntatis, nam si sic, sequeretur, nihil esse ejusmodi naturâ suâ, ut voluntate appetatur, sed prout unicuiq; adparet l. 3. Ethic. c. 4. (6) Verum bonum est objectum voluntatis, rectè se habentis; apparens bonū est objectum voluntatis pravæ. Nam bonum est tale, prout ille est, cui videtur aliquid bonū. Bono viro verum bonum videtur, quia ipse de singulis rectum judicium fert, proinde voluntas ejus bene constituta

L est

est. Malo videtur expetendum adparens bonum, quia ratio ejus, per appetitum sensitivum, & quidem ejus adfectus pravos, est corrupta.

§. 18. Bonum verum est simpliciter objectum voluntatis; sed bonum apparens est objectum voluntatis in hoc vel illo homine. Quod nec dissimulat Philosophus, dicendo: *Simpliciter ac reverà voluntati appetibile est id, quod est bonum, unicuique. Verò bonum est id, quod videtur unicuique.* l. 3. Ethic. c. 4. (6) Bonum verum & est, & videtur bonum. Bonum apparens non est, sed videtur bonum. Non verò absurdum est, quod reverà non est, tale tamen aliis videri, v. gr. morbofis non videntur ea esse calida, frigida, amara, dulcia, gravia, quæ sanis videtur. Bonum verum, quod & est, & videtur bonum, est illud, quod *vir bonus judicat bonum: nam vir bonus eo ipso differt à malo, quòd, prout aliquid verum est, judicat.* l. 3. Ethic. c. 4. (6) Nam vir bonus est mensura, ad quam rei exigenda est bonitas. Quod præter Platonem, etiam docet Aristoteles l. 3. Ethic. c. 4. (6) *Vir bonus est canon & mensura rerum.* Apparens bonum, quod non est, sed videtur bonum, est, quod quispiam, qui à voluptate defraudatur, tale judicat. Nam *impedit consilium voluptas, rationis inimica, ac mentis perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium,* teste Cic. in Caton. Maj. Unde & Arist., de voluptati deditis dicit, quod eligant, jucunditatem tanquam bonum, dolorē tanquā malum. Quibus gemina sunt, quæ habet Cicero l. 2. de finibus: *Qui voluptati deditus est, huic omnia sensu, non ratione sunt jucunda, eaq; dicenda optima, quæ sunt suavissima.*

§. 19. Explicatis iis, quæ ad naturam spontanei & inviti pertinent, jam dicendum, quid existimandum sit de illorū sententiā, qui docent: virtutes & vitia, eorumq; operationes

tiones non esse spontanea, sed ex fatali quâdam necessitate. In hâc sententiâ fuerunt post tempora Aristot: Stoici, & qui ante eos fuerunt, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristippus & multi alii. Dicendum quoq; est, quid existimemus de Platonis sententiâ, quæ tenet: virtutes & bene agere esse spontanea; vitia verò & malè agere invita. Quæ sententia Platonis esse videtur, quia in Pymêô & Minone expressè docet: *quòd non sponte sit malum: & l. 9. de legibus: omnes mali invitati sunt mali.* Deniq; l. 5. de legibus: *omnis injustus non est sponte injustus.* Quantum ad primam sententiam, eam sic refutamus. Quæcunq; fiunt cum electione, illa sunt spontanea; nam quæ cum electione fiunt, illa fiunt cum consultatione. Quæ verò fiunt cum consultatione, illa sunt in nostrâ potestate: consultabilia enim, docente Philosophò, *sunt nostræ potestatis* l. 2. Eud. c. 10. Quæcunq; verò fiunt, cum sint nostræ potestatis, illa sunt spontanea. Jam operationes, quibus comparantur sive virtutes sive vitia, fiunt cum electione & ratione, nemo enim, nisi qui sit præditus ratione, poterit secundum virtutem agere. Igitur sunt spontanea. Deinde leges, consilia, ac præcepta exhibentur, ut ad exercendas virtutum actiones homines impellantur. Quæ frustra essent, nisi illæ actiones spontanea forent. Quod si actiones spontanea, quibus virtutes & vitia acquiruntur, utiq; & virtutes & vitia: quia quorum principia & causæ sunt spontanea, etiam ipsa sponte fieri rectè dicuntur. Hâc eadem quoq; ratione ruit sententia Platonis. Quorum operationes spontanea sunt, illorum habitûs spontanei quoq; dicèdi, cujus ratio jam suprâ reddita, quia operationes sunt causa habitûs, cuj' operationes sunt. Atq; vitiorû operationes sunt spontanea, quia easdè suscipere & omittere possu-

mus, & talia sunt spontanea. conf. Arist. l. 3. Ethic. c. 5. (7) Si virtutes & vitia non essent in nostrâ potestate, non esset homo principium actionum, sicut filiorum generator l. 3. Eth. c. 5. (7) conf. & Alex Aphrodis. l. de fatô & libertate. Quod si verò sic, tum actiones nullæ haberent principia, neq; naturam, neq; fortunam, neq; casum. Porrò si inviti peccarent homines, legumlatores minimè punirent eos, qui mala perpetrant. Puniunt verò. Erg. non inviti peccant. Idem censendum de iis, qui honesta agunt, quia legumlatores eos honore adficiunt. Tandem nemo nos ad ea hortatur, quæ in nobis non sunt, aliàs frustra esset adhortatio. Ad virtutes capessendas & vitia declinanda omnes boni nos hortari consueverunt. Erg. &c.

§. 20. Aliquàm multi sunt ita depravati, ut non nisi prava agere possint, hi sunt suæ ipsi malitiæ auctores, quia per pravas actiones sibi vitiosum acquisiverunt habitum: nam injustè vivendo injusti evadimus &c. Non verò statim, ubi velit, potest quispiam justus esse, sed idem ei evenit, quod agro, qui intemperanter vivendo sibi morbum contraxit: is enim initiò poterat non agrotare, ast postquam se ipse morbo objecerat, non licet ei statim, pro eo ac vult, valere: nam corporis quædam vitia sponte contrahuntur, & hinc reprehensionem merentur. Hoc unicum adhuc notetur, aliter habitus, aliter actiones esse spontanea. Actiones sunt in nostrâ potestate à principiò ad finem, dummodò singulares circumstantiæ nobis non lateant. Habitus verò tantum quoad principium sunt in nostrâ potestate, quando verò sunt perfectè introducti ac confirmati, pro lubitu à nobis exui nequeunt. Dicuntur verò illi meritò spontanei, quia in habitibus, per singulares actiones confirmadis, aliter atq; aliter nos gerere poteramus. Tantum!

SOLI DEO GLORIA!

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.












Lp 329  
8

1000

300








B.I.G.

Farbkarte #13



13

DODECIMA  
 REMA-  
 TICORUM,  
 CTIONUM  
 ARUM,  
 "vinâ Gratiâ,  
 Ordinis Philosophici,  
 ALBERTINA,  
 ES  
 RGIUS â Göttingen/  
 & Phil. D.  
 DENS  
 TTENBURG,  
 ngallus.  
 locô, horisq; destinatis.  
 MONTI,  
 SNERI, ELECTORIS  
 ACAD. TYP.

